II. DISCEPTATIO CUM BALDAD. Cap. 25. 26.

1. SERMO A BALDAD HABITUS. CAP. 25.

Arg. — Postquam Iobus *adeo explicite* ad oculum demonstravit, impios saepe impune grassari, bonos opprimi, amicorum doctrina de retributione terrestri refutata est, refutatum quoque, Iobum ipsa calamitate ostendi improbum. Sed manet quod quaerebatur, cur demum Iobus malis sit afflictus. Baldad iam non habet, quid Iobo opponat, nisi ea repetit, quae de divina maiestate, potentia, sanctitate iam sunt dicta, et neminem coram Deo peccati esse immunem.

Cum igitur Baldad solum dicta denuo repetat et cum ex eo, quod nemo coram Deo sit naevi vel noxae expers, non sequatur Iobum secundum iustitiae normam merito tot ac tantis suppliciis conteri, ipsa haec brevissima oratio documento est, amicos Iobi esse ad silentium adactos, impares suae sententiae ulterius defendendae, impotes, qui Iobi fata explicent. Et hisce disputationis *progressus* simul declaratur. Notat *Ol.* : « Baldad, cum Iobi sermones refutare non posset, apologiam alio transfert eumque tamquam contra Deum insolenter se efferret ac de sua pietate superbe nimis gloriaretur, insectatur, mirabiliter quidem de Deo disserens, humanam autem naturam extenuans nihilque eorum quae purissima sunt, si cum divina puritate comparetur, purum esse affirmans ».

Neminem coram Deo summo esse a culpa immunem. Cap. 25.

Baldad orationis parti respondet, qua Iobus usus erat et in qua contendebat a Deo fretus innocentia, ut sibi liceret causam apud eum agere (*Vav.*). A qua fiducia ut eum dimoveat, maiestatem Dei incomparabilem et terrorem commemorat (cf. *Pin. Cord. Cod. Vav.*) : v. 2 « *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis* » ; — i. e. omnia quae sunt in coelis ad consiliorum suorum effectus componit (*Men.*), ita ut illa ne minimum quidem ei obsistere et repugnare audeant, sed omnia se ei promptissime submittant ; sublimes spiritus (4, 18 ; 15, 15) ei obsecundant, stellae ad eius nutum summa concordia motus et revolutiones coelestes exsequuntur (cf. *Pin. Est.*) — et Iobus cum tali Deo contendere audet, non se afflictioni

divinitus immissae humillime subdit, ius suum sibi negari asserit! Quare ulterius Dei maiestatem describit : v. 3 « *numquid est numerus militum eius et super quem non surget lumen illius* » ? — *turmae* Dei certe quam latissime sumantur oportet : omnia scil. quibus Deus ad sua consilia exsequenda vel ad sedem suam exornandam atque cingendam utitur : proin angeli, stellae, fulgura, tempestates (cf. Ps. 103, 4). Bene enim *Malv.* : « plerique restringunt ad turmas exercitus angelorum; sed satius est universe de omnibus rebus creatis accipere, quae in ordines et classes distributae Deo militant et velut in statione sunt » (sim. *Pin. W. Zsch. P.*). Et haec omnia provida et benefica cura a Deo reguntur, eiusque honorum et beneficiorum fruitione donantur; cf. Matth. 5, 45 *qui solem suum oriri facit*... ita *Malv.* Iam si omnibus *lumen* i. e. favor eius et bonum, quo sunt, illucescit, qualis erit ipse Deus horum omnium fons inexhaustus?

In hebr. *faciens pacem ;* censet *Zsch.* respici h. l. illam angelorum apostatarum rebellionem devictam ac superatam ; alium in finem haec dici *Pin.* putat : Deum summa pace et tranquillitate frui, quod tam terrificam maiestatem nemo audeat interpellare, nemo tam beatam quietem interturbare, nemo Deo iubenti reclamare; vel ut Baldad dicat : non opus esse, ut Iobus tentet venire usque ad excelsum Dei solium ; nam sublimem illum locum non esse strepitu forensi complendum ; vel cum Deus sit pacis auctor, si quando inimicitias agat (uti nunc cum Iobo), eum iure ac merito id facere.

Coram tali autem Deo quis mundus ac purus esse potest? v. 4 « *numquid iustificari potest homo comparatus Deo aut apparere mundus natus de muliere* » ? — cf. 4, 17 ; 15, 14 ; reprehendit Iobum, quod tali Deo, qui lumine suo omnia lustret, suam velit demonstrare innocentiam (cf. *Pin.*). Confirmat rem a simili, vel potius argumento ducto a maiori, v. 5 « *ecce, luna etiam non splendet et stellae non sunt mundae in conspectu eius* ; v. 6 *quanto magis homo, putredo, et filius hominis, vermis* » ! — i. e. luna et stellae ad maioris luminis exortum, ad solis praesentiam obscurantur, deficiunt; unde multo magis earum claritas quasi obscuritas quaedam est immensitati divini luminis comparata (*S. Thom. Cord.*) ; et si nihil quod effectum est, neque illa quae pulcherrima censentur, coram suo auctore puritatem suam possunt gloriose ostentare, quanto minus homo putredini et vermibus coniunctus atque cognatus (ita *Pin.*). Hominis statum mortalem, corruptionem haud incongrue affert, ut eum in innocentia deficere concludat; aptissime ex Gen. 3, 19.

Huic orationi adhuc ea addenda esse censet *B.*, quae 27, 8-10. 13-23 leguntur, quia sententiam amicorum defendant et particulae *quia* (כי) in 28, 1 rationem logicam auferant. Insuper, quae Iobus contra Baldad disputat

(26, 2-4), longiorem sermonem et sententiam amicorum denuo defensam supponere forte quis cum *B.* existimaverit. Coniectura haec aliquo modo suaderi potest ; nam revera ab admiratione quadam non abest et ab interpretibus non satis explicatur, cur Iobus cap. 27 amicorum sententiam de impiorum ruina terrestri ambabus manibus subito amplectatur. Quae difficultas utique facillime diluitur, si cum *B.* versus illos huic sermoni Baldad adnectamus casu quodam a sua sede avulsos et perperam locis alienis adscriptos. At *coniectura* est ; tentandum infra suo loco erit, utrum versus illi ex mente Iobi dicti sint necne ; vel an saltem *a Iobo* dicti suum ibi locum rite occupent.

Interea vero versus illos eo relinquimus loco, quem textus traditi summa concordia illis assignant ; idque eo libentius, quia responsio Iobi, quae sequitur, solum *hanc brevem* orationem respicere nobis videtur. Quare ex hoc iam capite impedimur, quominus coniecturam illam amplectamur.

2. RESPONSIO A IOBO DATA. Cap. 26.

Arg. — Acri cum ironia Baldad orationem *brevem* ridet, quasi pauculis verbis et nova plane sapientia egregium se praestitisset consolatorem et doctorem (26, 2-4). Dein Iobus ostendit, se minime institutione Baldad indigere, ut recte ac magnifice sentiat de Dei potentia et maiestate eamque revereatur. Quare ipse multo sublimius de Dei magnificentia disserit, per totam rerum creatarum seriem percurrens et Dei potentiam miris modis ubique cerni docens ; illam scil. inferi, mundi machina, nubes, firmamentum, maria, coelumque sidereum praedicant — tantae sublimitatis obscura quaedam lineamenta (26, 5-14).

Disceptationis *progressus* in eo potissimum cernitur, quod Iobus quid de Deo sentiat uberius quam antea disserens, et impietatis accusationem sibi impactam feliciter refellit, et simul declarat, se ad Deum tam fidenter provocasse, non quasi de Dei maiestate non sublimissima quaeque sentiret, sed quia suae integritatis sibi conscius sit. Unde haec quoque oratio nos reddit certiores, qua religione, qua animi sensuumque celsitudine Iobus fuerit, quanta igitur admiratione et veneratione dignus sit.

a) Iobus interlocutorem ridet 26, 2-4.

Exagitat interlocutorem Baldad, quam praeclare adiuvandi et consolandi partes obierit et quid tandem illa oratio sibi velit : v. 2 « *Cuius adiutor es? numquid imbecillis? et sustentas brachium eius qui non est fortis* »? — latini interpretes ita saepe explicant, quasi Baldad dicatur *Dei* partes male defendisse, Deum scil. minime tali egere vindice et defensore (cf. 13, 7). Id revera textus *vulg.* v. 4 suadere videtur et certe exigunt LXX et *vet. lat.* : « cui ades vel quem adiuturus es ? nonne eum, cui multa virtus est et brachium forte ? cui tu das consilium? nonne cui omnis est sapientia? vel quem sequeris? nonne eum, cui magna est fortitudo » ? Verum cum in hebr. proprie habeatur : *quantopere adiuvisti impotentiam, auxiliatus es brachio invalido*, v. 3 *quam consuluisti insipientiae* (non sapientiae, uti v. 2 non fortitudinem) *et prudentiam* (cf. 5, 12) *abunde indicasti?* v. 4 *cui annuntiasti verba? et cuius spiritus exiit a te ?* — iam *Vat. Eugub. Malv. IV. V. Cod. Calm.* et recentiores sententias ad Iobum referunt, quem infirmum, ope et consilio destitutum tam egregie consolatus sit et docuerit. Ironia haec eo magis apta est et interlocutorem pungit, quo *brevior* eius sermo fuerit, et quo magis ea tantum paucis protulerit, quae Iobo optime iam nota sunt. Unde v. 3 « *cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam? et prudentiam ostendisti plurimam* »? — i. e. *copiose*, alludere certo videtur ad *pauca* verba prolata ; accedit quod Iobus in sua responsione (v. 5-14) ea tantum tangit, quae cap. 25 a Baldad dicta legimus ; nihil vero de sorte impiorum ; quare satis certum est contra *B.*, nihil illi sermoni esse addendum. Acerbam allusionem etiam v. 4 in hebr. prae se fert et consentiunt LXX et *vet. lat.* : « cui annuntiasti sermones aut spiramen cuius est quod exit a te » ? i. e. ex cuius tu inspiratione loqueris, quis te ad dicenda ista animavit? num etiam tu ex superna revelatione loqueris, uti 4, 12 ? Aliud vulg. v. 4 « *quem docere voluisti? nonne eum qui fecit spiramentum* »? — si hic sensus genuinus foret[1], in sermone Baldad pars illa de sorte impiorum forte supponenda foret ; nam tunc demum *explicite* Baldad posset dici Deum rerum omnium creatorem edocere (cf. 21, 22), si, quali sorte impii puniendi essent, latius proponeret. Nam ea, quae nunc cap. 25 dicere perhibetur, ad Deum docendum non referuntur, nisi quatenus Baldad suam doctrinam erroneam se retinere sua responsione satis quidem, sed indirecte prodit.

b) Dei sublimitatem magnifice effert 26, 5-14.

« Cum haec ad eum per irrisionem locutus fuisset, ad Dei potentiam stilum orationis convertit et ostendens se illo de Dei potentia rectius sentire, dicit » (*Chrys.*, sim. *Ol.*) : v. 5 « *Ecce gigantes*

1. Nam nimis artificiose *Pin.* verba hebr. ad eundem sensum trahere conatur explicans : tu loquens uteris spiramento a Deo tibi dato. — Potius concedendum erit, latinam versionem nec textui hebr. nec contextui congruere.

gemunt sub aquis et qui habitant cum eis ; v. 6 *nudus est infernus coram illo et nullum est operimentum perditioni* » ; — Baldad inceperat *a sublimibus* (25, 2) ; Iobus *ab inferis*, usque adeo scil. extendi Dei potentiam, cum maius videatur terrorem incutere usque ad ima, quam pacem facere in suo quasi habitaculo. רְפָאִים dicuntur tribus antiqua, olim Palaestinae incolae (cf. Gen. 14, 5 ; 15, 20. Deut. 3, 11. Ios. 12, 4 etc.) qui cum staturae procerae essent, sicut Emim, Zamzummim, facile *gigantes* nominari poterant ; sed idem de *mortuis* dicitur, v. g. Prov. 2, 18 quo in loco *vulg.* bene vertit *inferos ;* illi autem רְפָאִים i. e. debiles, flaccidi, quieti nominantur, quia *Scheol* generatim tamquam regio quietis, oblivionis, otii describitur (cf. Ps. 93, 17 ; 113, 17 ; 87, 12. 13 [1]. Prov. 15, 11. Is. 38, 18). *Mortuos* h. l. intelligi in aperto est (cf. *Cod. Vav. Gord. W. Zsch. P. Le Hir*). Si retinere volueris *gigantes*, explica de terrore et horrore, quem manes incutere solent hominibus [2]. Dicuntur *gemere*, tremere, terrore concuti, Dei potentiam pertimescere ; *sub aquis*, in regione submarina, in ima terrae parte, ubi Scheol collocatur. In hebr. *gemunt sub aquis et habitatoribus earum* i. e. marium. Dei enim potentia inferorum locum intime pervadit ; hoc v. 6 docet : locum mortis et interitus scil. apertum iacere coram oculis Dei omni velamine ablato ; id scil. quod homini maxime est opertum, ignotum, remotum, notum est ac plane apertum Deo atque proximum.

Ab inferis Iobus nos ducit ad Dei potentiam admirandam in ipsa molis mundanae constitutione : v. 7 « *qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihilum* » ; — i. e. qui extendit (cf. 9, 9) aquilonarem coeli partem, totum hemisphaerium nostrum, polum praecipue arcticum *super vacuum :* i. e. coelum septentrionale quod unum nos cernimus integrum, expansum est super capita nostra nullo innixum fundamento, sed Dei voluntate suffultum. De eo esse sermonem (cf. *Pin. Tir. Cord. Vav. Cod. Sa, Malv. Del. P.*), et non de terrae parte aquilonari elucet ex verbo *extendere*, cf. Ps. 103, 2. Is. 40, 22, et ex *terrae* in altero membro mentione, quia vix probabile est (quod alii volunt, cf. *W. Zsch. Hitz.*) totum globum terrestrem tum demum memorari, postquam partis aquilonaris eiusdem globi mentio facta sit. Terram dicit suis ponderibus appensam veluti nihilo niti, ut Dei potentia rebus stabile fundamentum praebentis et fulcrum illustrior cernatur et hebetes quoque mentes tantae molis libratione perculsae eam revereantur.

1. Verbum רָפָא *sanare* miram illam versionem peperit, quam Ps. 87, 11 apud LXX et in *vulg.* legimus : numquid mortuis facies mirabilia, aut *medici* suscitabunt et confitebuntur tibi ? pro : *inferorum incolae.* — Ex cod. syr. hexapl. apparet, *Aq.* vocem Ῥαφαεὶμ retinuisse ; *Sym.* vero θεομάχοι transtulisse ; ex qua versione forte etiam fluxit S. Hier. translatio *gigantes*.

2. Alii vel de gigantibus explicant tempore diluvii oppressis (*Ol. Barh. S. Thom. Cord. Tir.*), vel de belluis marinis (cf. *Pin. Men.*), vel de daemonibus (*Sa*).

Postquam mundi machinae partes praecipuas, polum stelliferum et terram, insigne potentissimi Dei documentum in medium protulit, iam ex mole hac aliqua magis consideranda proponit, atque primo nubes : v. 8 « *qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum* » ; — aquas veluti in receptacula colligit easque nubibus veluti utribus includit, quae tanto pondere pressae tamen *non diffinduntur* (hebr.), sed aquas retinent, donec illas Dei iussu guttatim per pluvias salutares effundant ; sunt enim *Dei* nubes (cf. Gen. 1, 6. 7), in quibus Dei providentiam cerni et potentiam saepius docemur (cf. Ps. 103, 3. Ier. 10, 13). Dein id quod supra nubes cernitur, firmamentum commemorat : v. 9 « *qui tenet vultum solii sui et expandit super illud nebulam suam* » ; — coelum Dei sedes est (Is. 66, 1), ut bene notat *S. Thom.*, unde vultus divini solii est coeli conspectus visibilis (cf. *Cord. Men.*), quasi frons et superficies coeli (*Vav.*) ; illud autem continet, firmat et in illa superficie pro lubitu nubes expandit. Splendor proinde firmamenti quasi relucentia quaedam est coelestis Dei throni proiecta in terram et veluti umbra veri Dei solii in coelorum penetralibus collocati. Immensam vero coeli superficiem de repente nubibus obtegi et involvi, ad Dei maiestatis reverentiam hominum animis incutiendam valet.

Aliud divinae providentiae documentum est, quod rebus suam cuique provinciam assignavit et intra suos quamque limites continet ; ita v. 10 in hebr. *limitem circinavit super faciem aquarum* (terminum descripsit, vel termino circumscripsit aquas), *usque ad summam perfectionem* (i. e. exactissime) *luci cum tenebris* (scil. limitem descripsit) i. e. aquas suo loco et ordine continet conclusas ; neque opus est cum plerisque veterum de solis aquis maris rem explicare, quibus legem ponebat, ne transirent fines suos (cf. Prov. 8, 29. Ier. 5, 22. Ps. 103, 9. Iob 38, 10. 22), sed aquae etiam *superiores* certa lege circumseptae intelliguntur (cf. Gen. 1, 6. 7). Ab hac aquarum discretione ascendit Iobus ad lucis et tenebrarum distinctionem (Gen. 1, 4. 5) et unicuique suos terminos accurate definitos esse affirmat ; miratur scil. noctis ac diei vicissitudinem certo ordine sine ulla perturbatione perpetuo succedentem [1].

Textus lat. v. 10 « *terminum circumdedit aquis, usque dum finian-*

1. De voce תַּכְלִית cf. 11, 7. 8.

tur lux et tenebrae »; — illam aquarum certa lege circumscriptionem perpetuam fore, quamdiu dies et nox circa terram suos agent giros, indicat (cf. *Cord. Mar. Pin.*); cf. Ier. 31, 35.

Iam haec mundi machina non tantum sua conditione certisque legibus Dei potentiam annuntiat, verum etiam alia ratione terroris divini praeco est : v. 11 « *columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum eius* »; — hebr. *et horrent ab increpatione* [1] *eius* i. e. « firmamenta contremiscunt tonitruis, fulguribus et orbis concussione ; tum enim videntur columnae huius universi vacillare orbisque totus quasi loco commoveri atque subverti » (*Cord.*). Varie *columnas coeli* explicant, vel eam coeli vim, quae valido nexu omnia liget, contineat, servet, coelum igitur ipsum solidum ac stabile, vel montes tamquam sustinentes vel fulcientes coelum, quibus scil. inniti videatur (cf. *Pin. Cord. Malv. Men. Calm.*) ; ceterum bene monet *Cod.* non esse anxie quaerendum, quae sint, nam haec metaphorice esse dicta, atque (ut ait *Vav.*) ex vulgi opinione, a qua columnae coelo tamquam aedificio tribuuntur. Quod de *angelis* multi, h. l. abs re est.

Eandem Dei potentiam maria experiuntur : v. 12 « *in fortitudine illius maria congregata sunt et prudentia eius percussit superbum* »; — in hebr. *concitat mare;* apte prudentiae, sapientiae mentionem inserit, indicans Dei potentiam sapientia dirigi et ad prudentiae consilia exseri; רָהַב cf. 9, 13; iure h. l. explicant : mare superbum ac tumens coercet, ferociam eius quasi frenis iniectis compescit (cf. *Cord. Cod. Mar. Sa, Malv. Men. Tir.*) [2]. Proinde *providam* ac benignam Dei potentiam designat. Hanc porro absolvit rediens ad *sublimia*, a quibus Baldad exorsus erat, imagine iucunda pulcherrimae maiestatis et magnificentiae : v. 13 « *spiritus eius ornavit coelos et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus* » ; — opus designat quartae diei (cf. Gen. 1,14-19. *Pin.*). In hebr. *per spiritum suum* (i. e. vim illam ordinatricem, quae ferebatur super chaos et rudem molem ad ordinem et pulchritudinem formavit) *coeli* (sunt) *decus* [3], *formavit* [4] *manus eius serpentem fugacem*; vel uti *vulg.*

1. Increpatio גְּעָרָה de tonitru adhibetur (cf. Ps. 104, 7. Is. 50, 2. Nah. 1, 4).

2. *Sym.* συγχλᾷ ἀλαζονείαν. LXX κῆτος; monstra igitur marina a sapiente Deo compesci, ne ferocia sua et viribus ingentibus perniciem mortalibus afferant.

3. i. e. שִׁפְרָה ut nomen (cf. Ex. 1, 15; *First* L.); alii verbum in piel explicantes vel רוּחַ supplent *spiritus Dei ornavit coelos* (cf. *W.*) vel ex altero membro יָד *manus eius ornavit coelos*. Alii *splendorem* de coeli serenitate intelligunt, ieiune et post allusiones alias ad Gen. 1 satis frigide.

4. חִלָּלָה polel a חוּל parere, formare cf. Deut. 32, 18. Ps. 90, 2; quare *vulg.* sensum pulcherrime reddidit.

sensum optime expressit : natus est manu Domini agente officium obstetricis et extrahentis eum, utique ex nihilo. Draconem istum illustre esse coelorum ornamentum, lex membri paralleli omnino suadet. Iam qualis censenda sit *constellatio*, valde incertum est. Censet *Vav.* ita vocari serpentem, qui ambas ursas amplectitur ; *Cod.* sententiae R. Levi Gersonitae subscribit : « est species serpentis quae videtur ambiens in sphaera stellarum estque *circulus lacteus* » ; alii zodiacum esse putant, qui obliquus est et illustribus distinguitur signis, vel sidus hydrae, quod est ingens et maxime tortuosum iuxta leonem (cf. *Cord.*). Recentiores sidus draconis iuxta ursam minorem et polum arcticum intelligunt (cf. *W. Zsch. P. Le Hir* et cum variis locis aliorum *Ros.*).

LXX et *Syrus* vertunt : *interfecit* manus eius (i. e. חִלָּלָה poel a חלל vulnerare, confodere), et hoc etiam recentiores multi sequuntur (cf. *Hirz. Del. Hitz.*), varia ex aliorum populorum opinionibus fabulantes de dracone coelesti, qui solem devorare conetur, sed a Deo vulnere inflicto, ut desistat, cogatur. At hae naeniae sunt, nulloque vestigio talia apud Hebraeos in vulgi opinione esse posita probari potest, quare prorsus immerito hoc loco explanationis gratia usurpantur. Obscurum est additamentum בָּרִחַ [1] *fugitivus, fugax;* fortasse epitheton est a serpente variis sinibus se movente desumptum et ad varios sideris meatus et sinus translatum; quem sensum optime exprimit *coluber tortuosus*. Nam quod alii volunt de fulguribus fieri mentionem (cf. *Pin.*), prorsus a contextu exsulare videtur.

Coeli ornatu et sidere lucidissimo Iobus Dei maiestatis descriptionem absolvit magnifice, etiam magnificentius subdit : v. 14 « *ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius ; et cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri* »? — i. e. haec quae attigi, parva quaedem lineamenta sunt et debilis quaedam adumbratio ; in hebr. *ecce haec extrema viarum eius* i. e. parvae particulae tantum sunt ab *extremis* Dei actionibus delibatae, ad *intimam* rerum divinarum scientiam penetrare non valemus (cf. *Cod.*). Opera illa grandia, quae delineavit, exilis tantum et tenuis quaedam vox, lenis quidam susurrus sunt. Iam si illa nos admiratione percellunt, quid demum censendum de divina potentia, quae comparatione instituta cum illis est veluti tonitruum fragor? [2].

Insigni sane modo se habere excellentiam Dei perspectam Iobus

1. *B.* ex metri ratione בָּרִיחַ legendum esse dicit, uti revera *Hier.* habet Is. 27, 1 serpentem *vectem*, et *Aq.* ὄφιν μόχλον; *Sym.* ὄφιν συγκλείοντα.

2. In hebr. *et quam exiguum verbum quod audimus de eo* (cf. *Cod. Malv.*) vel *quam tenuis susurrus verbi, et tonitru roboris eius quis intelliget? Sym.* φαύρισμα τῶν λόγων αὐτοῦ.

hisce profitetur. Quid iam amici talem criminis convincere tentant proposita Dei potentia, quam ipse et sublimius describit et intime reveretur? Baldad post pauca verba obmutuit; Iobus argumentum sermonis contra se prolatum pro se arripit idque felicissime prosequitur, arma adversariis eripiens, victor egregius!

IV. IOBI EPINICION

CAP. 27-31.

Responsione data, « non est dubium, quin Iobus hic interquieverit paululum exspectaritque, quam mox Sophar, cuius erant eae partes, loqueretur; qui cum obmutuisset omnino, perrexit Iobus aliquamdiu (hoc est duobus capitibus) loqui ac rursum moram interposuit aliquam, si quis forte trium responsi aliquid praeterea daret. Quod cum non obtinuisset, tribus capitibus orationem conclusit suam ac tandem peroravit » (*Vav.*).

Iam ex brevissima oratione Baldad (cap. 25) argumentique repetitione concludendum erat, triumvirorum disceptationem ultimum, ut ita dicam, halitum ducere. Penitus exspiravit, cum non habeant, quid respondeant. Invicte enim Iobus ostendit eorum doctrinam non uno vitio laborare, invicte probavit se non esse hominem improbum. Unde silentibus triumviris Iobus interea victor in arena consistit et praeclaro epinicio secum ipse meditans suam ulterius causam tuetur atque illustrat.

1. PARS. CAP. 27-28.

Arg. — Sollemni modo et graviter denuo suam affirmat innocentiam, innixus conscientiae testimonio et illa, quam in se experitur, Dei fiducia et sancta quadam alacritate; talia enim impios minime comitari (27, 1-10). Dein amicos monendos atque dedocendos suscipit. Et primo quidem eos reprehendit, quod ad rerum cursum diiudicandum doctrinam proposuerint vanam, insufficientem, fallacem: quasi filiis orbari, spoliari fortunis, obrui calamitatibus eveniat *solis* et *omnibus* impiis (27,11-23). Tum homini deesse exponit illam sapientiam, quae ad rerum administrationem quae a Deo fiat rite diiudicandam necessaria sit: hominem quidem ingenio, arte, industria plurimum valere; testes esse metallorum fodinas et miras illas viscerum terrestrium perscrutationes tanta cum sagacitate factas — (28,1-11); at haec omnia minime valere ad *veram sapientiam* attingendam; quae in terra non inveniatur, nullo pretio soluto acquiratur, soli Deo per se suaque visit nota. Unum homini esse propositum, in quo totius vitae cardo vertatur: *Deum timere et recedere a malo* (28,12-28).